



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiae Parisiorum, 1678**

In Jonae Prophetae Historiam, Paraphrasis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

## JONÆ PROPHETÆ

HISTORIAM,

PARAPHRASIS.

URBS fuit Assyrio Ninive fundata tyranno;  
 Exuviis Asiæ, mundique superba ruinis:  
 Quæ quantum ante alias se mole opibusque ferebat;  
 Tantum flagitiis ultricem numinis iram,  
 Inque suas fulmen commoverat impia pœnas.  
 At Pater omnipotens lentus punire nocentes,  
 Dumque tonat veniæ non immemor; ante rebellem  
 Pertentare minis populum, resolutaque luxu  
 Corda parat: si forte metu commissa retractent;  
 Ac pacem studeant lacrymis vitamque mereri.  
 Ergo his Amathiden ultro compellat Jonam,  
 Os cui fatidicum, mens & præsaga futuri:  
 Surge, ait, & celerem Ninives ad mœnia magnæ  
 Tende gradum: raptosque infanda per omnia cives,  
 Securumque mei fœdaque in pace jacentem  
 His regem extimula dictis. Mihi denique vestra  
 Vim facit impietas, poscitque a vindice justo  
 Supplicium. En denso jam fertur ad æthera nubes  
 Vortice, in exitium generis reditura profani,  
 Et vestra absolvet clemens per funera numen.

Sic vati Deus. Ille gravi parere recusans  
 Imperio, Tarsum diversus abire parabat.  
 Heu! demens, speret qui fallere cuncta tuentem  
 Posse oculum! jamque Japeti cognomine litus,

A ij

CAP. I.  
 Et factum est  
 Verbum Domini  
 ad Jonam filium  
 Amathi, dicens:  
 Surge & vade in  
 Niniven civita-  
 tem grandem:  
 Et predica in ea:

Quia ascendit  
 malitia ejus co-  
 ram me.

Et surrexit Jonas  
 et fugerit in Tar-  
 sis a facie Domini

Et descendit in  
 Joppen:

JO. COMMIRII

4

*Et invenit navem euntem in Tarsis :*

*Et dedit naulum ejus, & descendit in eam, ut iret cum eis in Tarsis a facie Domini.*

*Dominus autem misit ventum magnum in mare : & facta est tempestas magna in mari :*

*Et navis periclitabatur conteri.*

*Et timuerunt nauta.*

*Et clamaverunt viri ad Deum suum.*

*Et miserunt vasa qua erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis.*

*Et Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi.*

Diluviique undas expertæ moenia Ioppes  
Attigerat. Velis tum forte carina solutis  
Exibat portu, Cilicis longe ostia Cydni,  
Subjectamque petens Tauri radicibus urbem.  
Infelix comitem sese vectoribus addi  
Exorat pretio vates ; multoque pacisci  
Naufragium ære sibi gaudet funusque sub undis.

Namque ubi ripa oculis fugiens tellusque recessit ;  
Ecce, Deo laxante, immanis turbine ventus  
Tranquillum subito vertit mare. Fulgura cœlo  
Crebra micant, fulmenque volat sine nube per auras  
Excussum, nec se natura agnoscit in illo.  
Tempestasque aliis innoxia perfurit unam  
Circumfusa ratem : nec fluctu velle videtur  
Simplice, sed toto laceram submergere ponto.

At trepidi nautæ præsentis imagine leti,  
Magna nequicquam plorantes voce ciebant  
Belumque, Astartenque, & mistum pisce Dagona,  
Et quos cuique Deos finxisset dira cupido  
Vel timor. Heu ! quid opis mortali numina ferrent  
Sculpta manu ? tumidum magis ac magis æstuat æquor :  
Sidentemque trahat sub iniquo fasce carinam ;  
Ni pictos properent, jam pondus inutile, Divos,  
Prælatasque ipsis pelago devolvere merces.  
Projiciuntur opes pretiumque & causa laborum,  
Illusæ vestes auro, Sidonia texta,  
Et messes Arabum, & spirantis munera costi  
Ludibrium ventis. It Barbara gaza sub undas.

Ipsæ autem interea navim delapsus in imam  
Carpebat somnos, altoque sopore jacebat  
Ignarus vates rerum, oblitusque pericli.  
Seu fessos artus longoque exercita cursu

CARMINUM LIB. I.

Hausit membra quies; ægro seu pectore moeror  
Incumbens, pigra sensus caligine merfit.

Quem ratis indignans querulo sic ore magister

Excitat: Unde tibi mortis discrimine tanto

Ista quies, mollesque alieno tempore somni?

Quin age, si qua tibi tulit exorabile numen

Relligio, placa votis & supplice cultu:

Præstet opem ut miseris, patriamque revifere donet.

*Et accessit ad eum  
gubernator, &  
dixit ei: Quid tu  
sopore deprimeris?  
surge, invoca  
Deum tuum, &  
forte recogitet  
Deus de nobis;  
& non percamus.*

Nec minus illa virum surgit sententia menti,

Exosum superis caput, auctoremque malorum

Puppe vehi, ac tanto cœlique salique tumultu

Deposci ad pœnas. Moveatur fortibus urna,

Exclamant omnes, & fato iudice monstret

Cujus supplicio crimen commune piandum.

Dicta placent: fati interpretres produciturna:

Atque ibi, sorte reus missa damnatur Jonas;

Casusque arbitrium casus mens arbitra rexit.

Illum immotum animis, & se meruisse fatentem

Vectores circum sistunt, ac quærere certant;

Quo tantam infelix meruisset crimine cladem?

Quod vitæ genus, unde domo, quis sanguinis auctor,

Et quo vertat iter? Sedato corde reponit.

Amathides. Mihi clara Hebræa e stirpe propago:

Castâ rite Deum veneror formidine, cœli

Qui tenet imperium, liquidi qui marmoris undas,

Tellurisque globum, nutu omnipotente creavit.

Atque utinam non contra animo certare rebeli,

Et sanctis voluissem obsistere perfuga jussis.

Diriguere metu nautæ, gelidusque per artus

Sudor iit; hasque in voces vix ora recludunt:

Quicquid id est quo te fontem mens conscia mordet;

Sive fugam, sive ille sui Deus arguit ultor

*Et dixit vir ad  
collegam suum:  
venite, & mitta-  
mus sortes, & scia-  
mus quare hoc  
malum sit nobis.*

*Et miserunt sortes;  
& cecidit fors su-  
per Jonam.*

*Et dixerunt ad  
eum: indica nobis  
cujus causa  
malum istud sit  
nobis? quod est  
opus tuum? quæ  
terra tua? & quo  
vadis? vel ex quo  
populo es tu?*

*Et dixit ad eos:  
Hebraus ego sum:  
Et Dominum  
Deum cœli ego ti-  
meo, qui fecit ma-  
re & aridam.*

*Et timuerunt viri  
timore magno, &  
dixerunt ad eum:  
Quid hoc fecisti?  
cognoverunt enim  
viri quod a facie  
Domini fugeret.*

quia indicaverat  
 eis, Et dixerunt ad  
 eum, quid facie-  
 mus tibi, & cessa-  
 bit mare à nobis?  
 quia mare ibat &  
 intumescibat, Et  
 dixit ad eos: Tol-  
 lite me, & mittite  
 in mare, & cessa-  
 bit mare à vobis.  
 Scio enim ego quo-  
 niam propter me  
 tempestas grandis  
 venit super vos.

Et remigabant  
 viri ut reverteren-  
 tur ad aridam, &  
 non valebant:  
 quia mare ibat, &  
 intumescibat super  
 eos. Et clama-  
 verunt ad Domi-  
 num & dixerunt:  
 quasumus Domi-  
 ne ne pereamus in  
 anima viri istius:  
 & ne des super  
 nos sanguinem in-  
 nocentem: quia  
 tu, Domine, sicut  
 voluisti, fecisti.

Et tulerunt Jo-  
 nam, & miserunt  
 in mare:

Et stetit mare à  
 fervore suo.

Et timuerunt viri  
 timore magno Do-  
 minum: & im-  
 molaverunt hostias  
 Domino, & vo-  
 verunt vota.

CAP. II.  
 Et preparavit  
 Dominus piscem  
 grandem ut deglu-  
 tiret Jonam.

Contemptum imperii; dic qua fas deinde tumentis  
 Exorare minas pelagi, ventique furorem?  
 Ille autem contra fidens: Me me ocyus, inquit,  
 Tollite, quem uestris sua fata adversa sequuntur;  
 Et jactate mari. Sic ponet mitior unda,  
 Unius & miseri poena placata quiescet.  
 Mirantur nautæ impavido sic ore locutum,  
 Indignæque timent morti demittere lucis  
 Contemtricem animam. Remis hinc valdiùs æquor  
 Luctati ruere, ac ripis advertere proram  
 Incassum. Terræ fluctu crescente recedunt  
 Longius ex oculis, vincitque procella laborem.  
 Cedimus, exclamant, quando tua certa voluntas  
 Visque invicta jubet, rerum summe arbiter & rex:  
 Devotumque tibi nil jam mactare moramur  
 Hoc quodcumque caput, sacroque aspergere fluctus  
 Sanguine. Sed cædem vindex ascribere parce  
 Immeritis: tua quos faciunt mandata nocentes.  
 Hæc ubi dicta, levant dextris; & puppis ab alto  
 Præcipitem mittunt, aversi lumina, vatem.  
 Atque cadente illo cæli furor omnis & undæ  
 Concidit: arridet flatu levis aura secundo,  
 Et desperatam promisit reddere Tarsum.  
 Tum vero magna obsessi formidine mentem  
 Vectores, sibi tot monstris & sospite vita  
 Expertum, cultu venerantur supplice numen:  
 Cumque suo tandem portu successerit alnus,  
 Votivis spondent cumulare altaria donis.  
 Immenso interea torquens sub pectore fluctus;  
 Acta Dei nutu pistris sectatur Jonam  
 Gurgitibus mediis luctantem & vana moyentem  
 Brachia; deprensamque immani sorbet hiatu.

Non tamen & lævos membris infigere dentes  
 Ausa fuit, metuitque suam contingere prædam:  
 Fertque cibo præsentem famem, neque vescitur illo.  
 Tres adeo soles totidemque ex ordine noctes  
 Cæco inclusum utero perhibent servasse sub undis:  
 Ne tamen ah! tantis incredula demere rebus  
 Corda fidem sperate, idem quæ testis & auctor  
 Astruit, & toto juratus numine firmat.

*Et erat Jonas in  
 ventre piscis tribus  
 diebus & tribus  
 noctibus.*

Quid faciat vivo portatus carcere vates,  
 Inque suo spirans tumulo, pontique furorem  
 Naufragio elapsus? Dominum lenire precando  
 Aggreditur, vota afflictæ quando una supersunt:  
 Et templum oranti piscis fuit. Horrida quanquam  
 Monstrorum facies, & plurima noctis imago  
 Stet circum, vitæque extremo in limite claudat:  
 Non tamen ex animo, genitor, fiducia cessit  
 Ulla tui. Longe obscœnæ pistricis ab alvo  
 Clamantem exaudis; imique è faucibus Orci  
 Eluctata moras omnes vox fertur Olympo.  
 Heu! quianam tanto voluisti prodere sumptu  
 Vilem animam; pelagiq; immensam advolvere molem,  
 Undasque fluctusque feros & flumina falsis  
 Interfusa vadis? tot in unum armare procellas  
 Rex invictæ caput placuit! sic notus Jonas?  
 Et nunc ille tamen superis exclusus ab oris,  
 Aspectuque tuo, stellantia visere templa  
 Sperat adhuc. Rapido pontus circumtonet æstu:  
 Obsidatque viam vallo prætenta sonanti  
 Tempestas: rupes æterna repagula, & altos  
 Imponat tellus montes, ne quæ fuga captum  
 Expediat: tamen hanc vitam, te Patre, tuebor.  
 Et spes illa animum memorem sub nocte profunda

*Et oravit Jonas  
 ad Dominum  
 Deum suum de  
 ventre piscis.*

*Clamavi detribu-  
 latione mea ad  
 Dominum, &  
 exaudivit me.*

*De ventre inferi  
 clamavi, & exau-  
 disti vocem meam.*

*Et projecisti me in  
 profundum in cor-  
 de maris: & stu-  
 men circumdedit  
 me: omnesurgi-  
 tes tui & fluctus  
 tui super me tran-  
 siverunt.*

*Et ego dixi: abje-  
 ctus sum à conspe-  
 ctu oculorū tuorū:  
 verumtamen rur-  
 sus videbo tem-  
 plum sanctum  
 tuum. Circumde-  
 derunt me aquæ  
 usque ad animam:  
 abyssus vallavit  
 me: pelagus ope-  
 ruit caput meum.  
 Ad extrema mon-  
 tium descendi,  
 terra velles con-*

cluserunt me in  
aeternum. Et suble-  
vabis de corruptio-  
ne vitam, Domi-  
ne Deus meus.  
Cum angustiaretur  
in me anima  
mea, Domini re-  
cordatus sum, ut  
veniat ad te ora-  
tio mea ad templū  
sanctum tuum.  
Qui custodiunt  
vanitates frustra,  
misericordiam tuā  
derelinquunt.  
Ego autem in vo-  
ce laudis immola-  
bo tibi: quacum-  
que voti, reddam  
pro salute Domi-  
no.  
Et dixit Dominus  
pisci: & evomuit  
Jonam in aridam.

## CAP. III.

Et factum est ver-  
bū Domini ad Jo-  
nam secundo dicens:  
Surge & vade in  
Niniven civita-  
tem magnam: &  
predica in ea pra-  
dicationem, quam  
ego loquor ad te.  
Et surrexit Jonas,  
& abiit in Nimi-  
ven juxta verbum  
Domini.  
Et Ninive erat  
civitas magna iiii-  
nere trium die-  
rum.

Et cepit Jonas in-  
troire in civitatem  
i itinere diei unius:  
& clamavit, &  
dixit: Adhuc qua-  
draginta dies, &  
Ninive subvertetur.

Et crediderunt vi-  
ri Ninivita in  
Deum: & pradi-  
caverunt jejuniū.

Solatur, sacras fore rursus ut sistar ad ædes  
Damnatus voti, promissaque munera solvam.  
Non hi sacrilegis mores, quos vana fefellit  
Relligio. Mundi auctorem, fontemque bonorum  
Ingrati abjiciunt: nec eos prærepta Tonanti  
Dona pudet limo genitis apponere Divis.  
Me vero juvat Isacidum solennia ferre  
Sacra tibi, & grato cum carmine dicere laudes.

Mota Dei pietas precibusque & supplice fletu,  
Occultis piscem stimulis induxit: at ille  
Acceptum revomens immani pectore vatem,  
Fidus depositi, molli projecit arena.  
Cui rursus mundi Rector placidissimus inquit:  
I, pete festinus Niniven, urbiq; superbæ  
Nunc tandem ferre imperia, ultricesque memento  
Intentare iras, populisque instantia fata.  
Ille memor, nil jam Domino parere moratur,  
Acceleratque gradum. Nec longum tempus, & altos  
Prosperxit muros, stellisque minantia tecta.  
Miratur vastis æquam regionibus urbem,  
Et quam si recto percurrere limite certes,  
Ante jubar clauso ter Phœbus condet Olympo,  
Arctari turbis tamen, angustamque videri.

Ergo viæ tantum ingressus quantum una sinebat  
Ire dies, magna clamat per compita voce,  
Nuntia venturæ pandens oracula cladis:  
Cum bis vicenos Titan absolverit orbes,  
Triste sibi fiet Ninive subversa sepulchrum.  
Responsa excipiunt trepidi cœlestia cives,  
Atque minis habuere fidem. Tum dura per omnes  
Indicunt sibi quisque domos jejunia, opimis  
Et longam jussere famem succedere mensis.

Quin

Quin vestes & fueti humeris ponuntur amictus:  
Patresque & pueri, & mista cum plebe senatus,  
Cyniphio incedunt velati corpora sacco.

*Et vestiti sunt  
saccis à majore  
usque ad minorem;*

Regalem interea rumor defertur in aulam  
Advenisse virum, genti qui tristia fata  
Instigante Deo canat, & commune minetur  
Exitium. Luxu ductor resolutus inert  
Assyrius, longumque trahens inglorius ævum,  
Vivebat longe curis bellique tumultu,  
Inter fœmineosque greges, Venerisque nefandæ  
Delicias. Huic tùm feralis nuntius aures  
Perculit, infuetas humanum audire laborem.  
Palluit auditis; crimenque agnovit & ipsum  
Criminis ultorem. Simul altum à fronte tiaram  
Rejicit insignem gemmis, folioque relicto  
Sternitur, & trabeam hirsuto velamine mutat.  
Dein cinere aspergit caput, immundoque capillos  
Pulvere, malobathri succis nardoque madentes.  
Mox etiam lege indictâ, procerumque rogato  
Concilio, pulla præco sub veste per omnes  
Anfractus plateasque urbis miserabile carmen  
Integrat. Infelix Ninives perituraque turba  
Accipite hæc animo. Jejunia solvere mensis  
Esto nefas: fesso nec quisquam pabula læta  
Quadrupedi, bobusve suis, pecorive ministret;  
Neu libare sinat salientem fluminis undam.  
Nuda sed intonsis horrescant corpora setis;  
Et cœlo pariter pecudes pecudumque magistri  
Vim faciant fletu. Mœstas attollite voces,  
Et votis placate iras, sed pectore verso  
Præsertim in melius. Scelerata absistite vita;  
Furta dolique absint & vis cognata rapinis.  
Quis scit enim si fata inflexa mente refigat

*Et pervenit ver-  
bum ad Regem  
Ninive;*

*Et surrexit de sa-  
lio suo, & abiecit  
vestimentum suum  
à se; & indutus  
est sacco, & sedit  
in cinere.*

*Et clamavit; &  
dixit in Ninive  
ex ore Regis &  
Principum ejus di-  
cens.*

*Homines & ju-  
menta, & boves,  
& pecora non gu-  
stent quidquam:  
nec pascantur, &  
aquam non bibant.*

*Et operiantur sac-  
cis homines & ju-  
menta, & cla-  
ment ad Domi-  
num in fortitudi-  
ne. Et converta-  
tur vir à via sua  
mala, & ab ini-  
quitate qua est in  
manibus eorum.  
Quis scit si conver-  
tatur, & igno-  
ret Deus: & rever-  
tatur à furore ira*



*sua, & non peribimus?*

*Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala:*

*Et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.*

## CAP. IV.

*Et afflictus est Jonas afflictione magna, & iratus est: & oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est Verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc praecipuaui ut fugerem in Tarsis.*

*Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multa miserationis, & ignoscens super malitia.*

*Et nunc Domine, tolle quaeso animam meam à me: quia melior est mihi mors quam vita.*

*Et dixit Dominus: Putasne bene irascaris tu?*

*Et egressus est Jonas de civitate: & sedis contra*

Omnipotens, veniamque ostenso fulgure donet?  
Sic præco attonitam regis mandata per urbem  
Fert populis. Olli obsequio certante sequuntur,  
Factisque antevolant monitus. Tenet omnia moeror,  
Et soli rumpunt funesta silentia planctus.  
Jam non illa manet Ninive famosa suorum  
Flagitiis: potuitque etiam desuisse videri.  
Impietas moresque sui quæruntur in illa,  
Nec cœlum quod plectat habet: mutataque corda  
Mutaverè Deum, fulmenque reponere cogunt.

At non ipse animis etiam mutatus Jonas:

Eventuque dolens contraria dicta refelli  
Ingemit, & questu Dominum sic urget amaro.  
Esto mihi nunc testis, an hoc non ante futurum  
Prædixi, patria cum jussus adire relicta  
Assyrium Tigrim, Cilicum fugitivus in oras  
Verti iter, ac pelago speravi evadere Tarsum?  
Scilicet illa tuæ dudum clementia mentis  
Nota mihi, ac pronum semper miserescere pectus,  
Et tolerare sciens, fontesque absolvere pœna.  
Nunc quando exitio gentem servare nefandam,  
Meque adeo positis mendacem fingere vatem  
Decrevisti odiis; misero precor eripe vitam:  
Mors data munus erit. Conantem dicere plura  
Singultu & lacrymis vox interclusa refugit.  
Atque illum blando incusans Deus ore vicissim,  
Cur tantos, inquit, sub pectore volvere fluctus,  
Nobisque invidiam pergis conflare querendo?  
Credo equidem, justa insani tibi causa doloris  
Est super, & merito immites non exuis iras.  
Talia dicentem vates pertæsus, & ipsum,  
Et muros fugiens invisæ deserit urbis:  
Confeditque jugo, qua cœlum parte recludit

Orta diēs. Hic virgultis & cespite vivo  
 Angustum raptim properat componere culmen.  
 Perfruiturque umbris & frigore subter opaco,  
 Expectans quæ mox Niniven fortuna sequatur.

Orientem, & fecit sibi umbraculum ibi:  
 Et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati.

Et preparavit Dominus Deus hederam:

Et ascendit super caput Jona, ut esset umbra super caput ejus. & protegeret eum, (laboraverat enim) & latatus est Jona super hederam, latitia magna.  
 Et paravit Deus vermem ascensu siliculi in crastinum, & percussit hederam,

& exaruit.

Et cum ortus fuisset sol, precepit Dominus vento calido & urenti: & percussit sol super caput Jona, & aestuabat.

Et petivit anima sua ut moreretur: & dixit, melius est mihi mori quam vivere.

Et dixit Dominus ad Jonam: Putasne bene irasceris in super hederam?

Ecce autem noctu exsurgens stirps numinis almi  
 Culta manu (Hebræi nomen fecere cicaion)  
 Par serpenti hederæ, folioque simillima viti,  
 Spargebat late ramos & frondea circum  
 Brachia. Quam mane evigilans ut cernit Jonas,  
 Ut gaudet soles capiti defendere iniquos,  
 Atque ignita comis excludere tela diei!  
 Sed non ille diu foliis lætatus & umbra.  
 Postera nam mundo noctem cum pelleret Eos,  
 Vermis, tetra lues angusto in corpore, serpens  
 Radici teneræ morsus infixit acutos,  
 Fibrasque arrosit, vitæ quæ succus & humor  
 Diditur in venas. Tum caudice languida sicco  
 Deponit crines arbor & frondis honorem.

Interea rapidis miscentem incendia flammis  
 Phoebus agit currum: Phœboque immitior Auster  
 Urit anhelantes ignavo flamine terras.  
 Æstuat Amathides, geminamque & solis & auræ  
 Vim se ferre negat, conjuratosque vapores  
 In caput. Ergo agræ pertæsus tempora vitæ  
 Mortem optat, dictisque morantem incusat acerbis.  
 O si quis fesso nunc denique corpore solvat  
 Infelicem animam, manesque emittat ad imos!  
 Redde, oro, pelagique minas, fluctusque sonantes  
 Vorticibus Pater: & pistricis rursus opaca  
 Conde alvo nunquam rediturum in luminis auras.

Quem Deus alludens placido sic excipit ore.  
 Horrendum vero facinus, tantique doloris  
 Argumentum ingens! ficcis arbuscula ramis

*Et dixit: Bene  
iraſcor ego uſque  
ad mortem,*

*Et dixit Domi-  
nus:  
Tu doles ſuper he-  
deram,*

*in qua non labo-  
raſti, neque feciſti  
ut creſceret: qua  
ſub una nocte nata  
eſt, & ſub una  
nocte periit.*

*Et ego non parcam  
Ninive civitati  
magna.*

*in qua ſunt plu-  
quam centum vi-  
ginti millia homi-  
num qui nesciunt  
quid ſit inter dex-  
teram & fini-  
ſtram ſuam,*

*& jumenta multa?*

Si perit, & viridem non amplius explicat umbram.  
Me tamen iſte urit penitus furor, eſtque medullas,  
Amathides inquit: nec ſi promittere pergas,  
Ulla jam lucem libeat mercede mereri.

Tum vero vatem increpitans ſic intonat alta  
Voce Pater: Faſne has humili pro ſtirpe querelas  
Integrare tibi, tantosque incendere luctus;  
Quam non verſa tuo tellus ſummiſit aratro,  
Non labor irriguis humoribus auxit adultam:  
Sed nox una ſolo peperit, nox una peremit?  
Hanc tamen & verbis, & amaro quærere fletu  
Ereptam perſtas. Me lumen gentis Eoæ,  
Me gravidam imperiis Niniven non perdere flamma,  
Invidia eſt? Sed fac dirum meruiſſe nocentes  
Exitium. (quanquam ſclerum jam pœnitet illos,  
Et culpas lacrymis dudum abſterſere profuſis.)

Tu decies biſſena hominum demittere leto  
Millia viſ, dextra indoctos diſcernere lævam?  
Qui matrum ah! flentes nunc preſtant ubera fruſtra  
Inconceſſa ſibi; juſſique exolvere pœnas,  
Indignamque famem meritis impendere patrum.

Adde greges, adde impaſtos jam tempore longo  
Quadrupedes, mœſtoque armenta gementia queſtu  
Fluminis ereptos latices, & graminis herbam.  
Hæc Dominum trifti prohibes avertere fato?

Sic veniam demum excuſat; cauſamque perorans  
Abſolvi meruit, vel Iona iudice, Numen.  
Utque fides tantis & fama æterna maneret  
Prodigiis, caperentque hinc olim exempla nepotes;  
Ipſe reum cunctis vates ſe prodere ſæclis  
Ultro ambit: ſcriptoque volumine, parcere promptum  
Nunc quoque teſtatur, lentum punire Tonantem,